

celsior, in fronte macula quodam diademate candicans. Multum etiam nitore a uolgo differunt.

XVII (17). Quaerat nunc aliquis, unusne Hercules fuerit et quot Liberi patres, et reliqua uetustatis situ obruta ! Ecce in re parua uillisque nostris adnexa, cuius adsidue copia est, non constat inter auctores, rex nullumne solus habeat aculeum, maiestate tantum armatus, an dederit quidem eum natura, sed usum eius illi tantum negauerit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti. Mira plebei circa eum oboedientia. Cum procedit, una est totum examen circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cum populus in labore est, ipse opera intus circumit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictoresque, adsidui custodes auctoritatis. Procedit foris non nisi migraturo examine. Id multo intellegitur ante, aliquot diebus murmure intus strepente, apparatus indice diem tempestiuum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cum processere, se quaeque proximam illi cupit esse, in officio conspici gaudet. Fessum umeris subleuant, ualidius fatigatum ex toto portant. Si qua lassata defecit aut forte aberrauit, odore persequitur. Vbicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt.

52

53

54